



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1595. usque ad annum 1600

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1773

VD18 90118677

§. 31. Clemens VIII. Papa Ferrariam profectus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67263](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67263)

Polonia reverso in gratiam reversus est, necnon Diariam Christiernam uxorem suam denuo recepit, quam tamen paulo post eadem levitate repudiabat,

Sæcul. XVI.
A.C. 1598.

§. XXXI.

Clemens VIII. Papa Ferrariam profectus.

Sub idem tempus Clemens VIII. Ferrariam beneficiario jure Romanæ Ecclesiæ semper obnoxiam, ac nuper recuperatam petere, simulque alias ditiones ecclesiasticas lustrare statuit, quocirca prius pro tranquillo Romanæ urbis regimine salutaria condebat statuta, ac præprimis Inicum, seu Ignatium Avalos de Arragonia Neapolitanum Cardinalem, Episcopum Portuensem tanquam Legatum suum destinabat, ac die tertia Aprilis edito hanc in rem diplomate eidem plenam omnes etiam exemptos Curix Ministros regendi, delinquentes, & rebelles plectendi, discordias componendi, causas civiles cognoscendi, & sententias quascunque exequendi, ac certa beneficia additis quibusdam conditionibus conferendi potestatem impertiebatur, simulque alio diplomate die decima ejusdem mensis promulgato declarabat, quod Curix Ministri, qui Papam comitantur, æque ac ceteri omnibus fruerentur prærogativis:

*Spond. hoc
ann. n. 1.*

Sæcul. XVI.
A C. 1598

his ita dispositis Pontifex die duodecima Aprilis cum nobili Antistitu, & Clericorum comitatu, ac militari satellitio sanctissimam Evcharistiam in capite pretiosa sub aureo umbraculo, accensaque luminibus præferri curabat; hæc enim perantiqua est summorum Pontificum peregre proficiscentium consuetudo, de qua Angelus Rocca Apostolicæ Sacrarii Præfectus eruditum edidit commentarium. Demum altera die Clemens sacro in Vaticana Basilica ad Altarem Divi Petri, & Pauli peracto verba illa Itinerarii pronuntiabat: *In viam paravis &c.* statimque iter suum exorsus die vigesima quarta ejusdem mensis Laurentinum venit, ubi Beatissimæ Virginis sedes religiose visitans, ac sæpius ibidem rem divinam peragens, sacram omnem, qua utebatur, suppellectilem una cum mille aureis dono reliquit: inde die vigesima septima Anconam ad mare Adriaticum delatus die Christo ad caelos ascendenti sacra cum quindecim Cardinalibus sacro solemni interfuit, a Nobili Justiniano Equite Veneto tribus Reipublicæ triremibus perhonorifice exceptus: postea terrestri itinere die septima Maji ad sancti Georgii Cænobium Olivetani Ordinis, Ferrariæ finitimum pervenit, sequenti autem die comitantibus eum viginti septem Cardinalibus Ferrar

Ferrariam solemnī pompa ingressus est, cui adventanti Ferrariensium Sapien-
tium Judex obviam processit, urbisque clavel debito obsequio porrexit, Magi-
stratus vero, omnisque populus ubique festiva maximæ lætitiæ signa edidit:
reliquo autem tempore Pontifex rebus disponendis, nec non excipiendis Prin-
cipum Legatis, atque insignibus pieta-
tis, liberalitatis, omniumque virtutum exercitiis intentus usque ad finem No-
vembris ibidem substitit,

Sæcul. XVI.
A. C. 1598.

§. XXXII.

Hæretici in Suecia legitimi Regis sui imperium excutientes.

Fervebant adhuc in Sueciæ Regno se-
ditiosa hæreticorum molimina ad-
versus Sigismundum Regem suum, qui iterato itinere Lascum e Polonia ad
Carolum regiæ auctoritatis usurpato-
rem ablegabat, eo autem reverso plene
edoctus erat, quod obfirmata hæretico-
rum pertinacia id unice ageretur, ut sub
Sudercopiensis decreti obtentu regia po-
testas everteretur, ac Caroli auctoritate
stabilita fides Catholica a regno peni-
tus eliminaretur. Percepto Suecorum
consilio Poloni Proceres in Varsoviensibus comitiis congregati Sigismundo
Regi auctores extitere, ut unacum classe
ad regnum suum contenderet. Igitur

Thuan. l. 122
Spond. hoc
anno n. 21.
Chytr. in
Sax.

Y 3

Rex